



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

5. De respiratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

verum, necne, & multis experientiis constat saepe ipsum ad se accedentes decessisse, nec potest aliquis dubitare quin quoties ille aliquid huiusmodi reuelaret, id faceret ad aliquem finem, qui vel accidentibus, vel aliis hominibus esset magis nociuus, quam proficeret illa reuelatio; nam alias certum est, quod ipse nihil reuelaret; vnde ex hoc etiam capite pessime ad ipsum fieret recursus.

26. *Tertio denique tenendum* est ex somniis illis; quæ oriuntur ex certa dispositione humorum; aut influxu aliquo cælesti, posse eos, qui saepe fecerunt experientiam ea de re, probabilem concipere coniecturam de aliquibus rebus futuris, vt de decremento vel incremento morbi, de mutatione temporis quoad pluuiam vel serenitatem: id quod patet non solum experientia medicorum & agricolarum, qui sapissime verum ferunt iudiciū de talibus effectibus; sed etiam ratione, quia cum illi effectus habent probabilem connexionem cum causa talium somniorum, qui cognoscit causam, facile cognoscere potest effectum, saltem coniecturaliter. Et dico coniecturaliter, non solum, quia connexio effectus talis cum tali causa non est tam necessaria, quin impediri posset per alias causas; sed etiam quia non potest certo cognosci quod causentur ab illis causis somnia illa; nam possent sine dubio causari à Dæmone ad malum finem, & speciatim ad decipiendum: & ab Angelo bono ad bonum; & possent etiam causari eo modo, quo somnia indifferentia causantur ex fortuita specierum excitatione. Ex quo patet his coniecturis non esse fidendum nisi cum magna cautela ac discretionem, præsertim cum res propterea suscipienda esset magni momenti, ac afferret detrimentum magnum si coniectura esset falsa.

Somnia de futuris disparatis negligenda.

27. Somnia autem illa ex quibus colliguntur aliqua futura, quæ non habent connexionem ullam ex natura rei cum causis somniorum, sunt prorsus contemnenda, & quauis aliquis videretur sibi sapissime expertus post talia somnia tales effectus secutos, tamen adhuc imprudenter fideret illis; tum quia si fecisset bene reflectionem, inueniret saepe etiam eos non successisse, & deinde quandoquidem non sit physica aliqua connexio, nec somniorum, nec causæ eius cum talibus effectibus, deberet dubitare, an illa somnia non essent causata à Dæmonibus, cum tales effectus essent secuturi, vt ea ratione causaret illam opinionem, quod somnia similia portenderent tales effectus, ac sic deciperent tandem etiam in re aliqua magni momenti: quod valde aduertendū esset iis, qui nimium sūt creduli huiusmodi somniis.

Q V Æ S T I O V.

De Respiratione.

Quid respiratio.

Respiratio, de qua hic agitur, consistit in alternatiua aeris attractione, seu inspiratione, & eiectione seu expiratione, quæ fit per motū localem pulmonis nunc dilatati, cum scilicet attrahitur aer, nunc contracti, cū eicitur instar folliū, per quos simili modo inspiratur & expiratur aer. Qui motus localis producit sine dubio vt à principio quo physico ab anima, & propterea vocatur motus vitalis. Sed cū anima brutorum sit diuisibilis, quæritur, à qua parte ipsius producatū iste motus, an à parte residente in ipsismet pulmonibus, vel ab ea, quæ est in alia aliqua corporis parte. Quæ etiam difficultas moueri posset de anima rationali indiuisibili, quæ sola reperitur in homine, & de aliis etiam animabus, si essent indiuisibiles, vt de perfectorum animantium animabus sentiunt Thomistæ, an scilicet principiet proxime illum motum vt informans pulmones, an vero vt informans aliquas alias partes. Si enim anima secundū quod informat pulmones, principiat istum motum; tum pulmones erunt causa effectiua totius motus, & consequenter respirationis; si vero principiat illum secundum quod informat cor, cor erit principium, & ita similiter de aliis partibus discurrendū.

Aqua parte anime diuisibilis producit, vt à principio quo.

Aliqui existimant principium istius motus esse cor, alij ipsos pulmones, alij musculum illum simplicem & rotundum qui separat cor & pulmones à iecore & liene, quem vocant diaphragma. Alij denique asserunt eum partim provenire à pulmonibus, partim à diaphragma-

te; vtrisque cōcurrētibus effectiue & proxime, & partim etiam à corde; non quidem tanquam à principio proximo istius motus, sed quatenus est communis origo natui caloris, ac subministrat etiam sanguinem pulmonibus, quo incalescant.

29. *Quam sententiam complectuntur Conimbricenses,* & quantum ad cōcursum ipsorum pulmonum *suadeatur,* quia cum pulmones moueantur, & sint animati, nihil impedit quo minus vis illa saltem partialiter motiua ipsis adscribatur. Quod autem non habeant virtutem totaliter motiuam, sed concurrat etiam diaphragma, colligitur coniecturaliter ex eo, & quod cessante ex latione aliqua diaphragmatis motu, impediatur statim motus pulmonum, & quod pulmones, etiam dum sanie tabescunt & expuuntur, adhuc moueantur. Quod vero non proueniat ille motus à corde tanquam à principio primo effectiue, *suaderi potest* ex eo, quod ad sint alie causæ sufficientes, nimirum ipsimet pulmones cum diaphragmate; nec sit vlla ratio vnde colligatur concursus ille cordis, præsertim cum pulmones non moueantur ad motum cordis, vt patet ex eo, quod non sit idem vtriusque motus; quandoquidem vni respirationi plures motus cordis correspondere possunt, vt experientia compertum est. Quod denique proueniat etiam à corde modo illo supra specificato, *patet,* quia sine dubio calor & sanguis valde iuuare possunt ad illum motum; ergo potest prouenire à corde, vt principio sanguinis & caloris. Præterea, concurrat ad respirationem arteria respirationis, & fauces, tanquam instrumenta, sine quibus nequiret attrahi aut eici aer commode ad necessitatem viuientis. Quanta autem sit necessitas respirationis, inde apparet, quod ea ad certum tempus impedita pereant animantia, quæ habent vim respiratiuam vt patet experientia.

30. *Verum in illo motu,* id adhuc valde difficile est, cum non præsupponat cognitionem, sed proueniat à causa omnino naturali non minus quam calor ab igne, & motus grauium & leuium ab ipsismet, quomodo possit esse difformis & quoad vnam partem contrarius sibi quoad alteram, expansio enim illa pulmonum est contraria contractioni ipsius.

Quomodo ille motus sit difformis.

Ad hoc posset dici, quod attractio illa aeris, quæ fit per expansionem pulmonum, procedat effectiue à pulmonibus & diaphragmate, mediante virtute animæ tanquam principio quo, contractio vero fiat mediante grauitate naturali, quam haberent etiam si non adesset anima; & sic non procedunt duo motus contrarij ab eadem virtute, sed à diuersis, quod non est inconueniens.

An ille motus sit naturalis an liber.

Contra, quia sicut illa virtus attractiua superat grauitatem, eaque non obstante expandit pulmonem: ita etiam deberet ea non obstante conseruare illum expansum: & sicut grauitas in ordine ad descensum superat virtutem attractiuam, deberet initio impedire expansionem: ergo motus ille non fit illo modo.

Alio modo posset dici, quod ille motus, posset refundi in influxum aliquem cælestem, sicut fluxus & refluxus maris: sed tum non deberet ascribi virtuti motiue animæ, aut diaphragmatis, aut pulmonum.

Deinde mirabile est quomodo fieret in omni loco & tempore sub quacunque constellatione eodem modo semper. Præterea non deberet recurri ad influxum aliquem celestem absque aliqua causa.

Tertio posset dici, quod oriretur illa dilatatio & restrictio ex calefactione continua orta ex corde & aere, supposita dispositione tali, vel tali diaphragmatis & pulmonum, sed tum etiam non deberet habere pro causa effectiua pulmones, aut diaphragma, sed potius cor, & aërem. Qui modus dicendi mihi satis placet.

31. *Quæritur* hic, an iste motus sit naturalis, an liber, seu spontaneus.

Respondent Conimbricenses, illum esse partim naturalem, partim spontaneum. Sed hac difficultas, cum distinctione soluenda est, & dicendum quod motus respirationis, qui prouenit ex imperio voluntatis aut appetitus mediante cognitione, sit spontaneus: motus vero, qui non prouenit ex appetitu, aut voluntate, sit omnino simpliciter naturalis.

naturalis. Nec refert quod hic secundus motus posset impediri à voluntate, aut appetitu, quia licet calefactio possit impediri, non sequitur tamen, quod non sit motus omnino naturalis, per huiusmodi enim motum nihil aliud intelligimus, quam motum, qui provenit effectiue à causa, quæ non est voluntaria nec libera, quidquid sit, an posset per talem causam impediri.

Advertendum autem, quod hæc resolutio supponat aliquando dari motum respirationis, dependentem ab imperio appetitus, ut cum volumus respirare crebrius aut rarius, aliquando vero dari motum independentem à tali imperio, ut est ille, quem habemus, dum dormimus.

32. *Quares secundo*, quibus animantibus conveniat respiratio.

Quibus animantibus convenit respiratio.

Philosophus omnibus & solis illis, qui habent pulmonem ascribit respirationem; ex illis vero ea, quibus pulmo est fere sanguis & fungosus, ut sunt ranæ, mures fluviales, testudines, crocodili, delphini, balenæ, & similia minus frequenti indigent respiratione, & propterea diu, sed non semper manere possunt sub aqua, prout minori vel maiori indigent respiratione. Alii vero pisces nec pulmonem habent nec respirationem. Alij vero putant omnibus animantibus convenire respirationem, etiam piscibus; & quibus deest pulmo, adesse aliquid aliud supplens defectum eius quantum ad hoc, sicut loco sanguinis aliqua habent alium humorem æquivalentem quantum ad eorum nutritionem.

Quod si obiiciatur ipsis, non adesse ærem, quem attrahant & emittant, quandoquidem semper maneat sub aqua.

Respondent, id negando, dicunt enim per totam aquam reperiri spiritus aereos, ac etiam aerem ipsum.

Et si iterum obiiciatur, quod si adesset aer sub aqua aut intra ipsam, cetera etiam animantia possent respirare sub aqua aut intra ipsam, quod est falsum: *possent respondere*, quod id non sequeretur, quia maior aer cæteris animantibus posset requiri ad respirationem sufficientem, quam piscibus, & consequenter non haberent sufficientem ærem, quem attrahant.

Deinde, aliis animantibus, præsertim pluribus, posset obesse aquæ attractio, quam simul cum aere attrahere deberent: & propterea quamvis adesset aer sufficiens, non possent bene respirare sub aqua.

33. *Hac in re existimo dicendum cum Philosopho*, quod pisces non respirent sub aqua, quia quandoquidem possint attrahere absque detrimento aquam, eamque rursus emittere, verisimile est quod non indigeant alia refrigeratione, nec consequenter respiratione; & quia vel non est aer intra aquam, vel plane accidentale est quod sit sub illa: & nulla ratio aut experientia probat, quin pisces possint vivere in aqua, quamvis non haberet intermixtum ærem. Hoc tamen non obstante; credo eos habere virtutem respiratiuam, quia illa ipsa virtus, qua mediante possint attrahere & emittere aquam, potest sufficere ut inspirent, & expirent ærem; & videtur patere experientia, quod extracti extra aquam respirent propriissime.

Dices: pisces conservati in vase parvo non obturato possunt vivere diu: non possunt vero in vase obturato: ergo signum est quod respirent; quia alias obturatio vasis non impediret vitam ipsorum.

Respondeo, negando consequentiam: quod enim non vivunt in tali vase, non oritur ex eo, quod non possint respirare, nam si respirare potuissent sub aqua, ille ipse aer, qui esset in aqua illa, quando obturaretur vas, posset ipsis semper sufficere. Sequitur ergo ipsorum mors ex aliqua alteratione aquæ, quæ ex illa obturatione procedit, aut ex defectu alicuius alterius concursus.

Quis motus est prior inspiratione, an expiratione.

Queritur denique, quis motus prior sit, inspirationis, an expirationis. *Philosophus* dicit priorem inspirationem, sicut posterior motus viventis dum moritur, est expiratio. Sed reuera existimo hoc esse valde incertum, ac fortassis in aliquibus priorem inspirationem, in aliis expirationem.

34. **D**E hominum iuventute & senectute potissimum hic agendum, quorum vita in tres ætates à Peripateticis præsertim diuiditur: quorum *Prima* ad annum vigesimum quintum, aut circiter extenditur, & comprehendit infantiam, quæ quatuor primos annos complectitur; pueritiam, quæ deinde vsque ad decimum; pubertatem quæ vsque ad decimum octavum; & adolescentiam quæ vsque ad vigesimum quintum complectitur: tota autem hæc prima ætas, nomine desumpto ab hac ultima, ac magis perfecta parte vocatur adolescentia nonnunquam: nonnunquam vero pueritia etiam, nomine desumpto à prima parte. *Secunda ætas*, quæ media est, comprehendit ab anno vigesimo quinto vsque ad quinquagesimum, & diuiditur in iuventutem, quæ ad trigessimum quintum, vel etiam quadagesimum: & virilem ætatem, quæ deinceps vsque ad quinquagesimum porrigitur. Vocatur autem hæc secunda ætas florida, quod tunc homo soleat maiorem habere perfectionem; & etiam iuventus, nomine desumpto à prima parte. *Tertia & ultima ætas*, quæ senectus dicitur, diuiditur in primam & ultimam senectutem: prima comprehendit à quinquagesimo vsque ad sexagesimum quintum: secunda vero cæteros subsequentes annos, & vocatur decrepita.

Tres ætates hominum.

Fundamentum huius diuisionis desumptum est ab ordinaria mutatione, quam in hominum vita animaduertimus, quæ tamen in aliquibus casibus mutari sine dubio potest, adeo ut aliquorum prima ætas possit, vel extendi ad plures annos, vel ad pauciores restringi: & ita de reliquis ætatibus, ac earum partibus censendum est. Nec deessent etiam fundamenta plurium aut pauciorum partitionum, prout quis vellet advertere ad differentias aliquas, quæ in hominum vita discerni possunt. Vnde illi Astrologi, qui singulis planetis in singulas partes ætatis hominum influxum tribuunt, non nisi septem admittunt diuidentia membra (loquor de membris diuidentibus, sicut partes totius integralis dicuntur membra diuidentia ipsum totum integrale) nempe *adolescenciam*, cui *Lunam*, à qua humorem & teneritudinem accipit; *pueritiam*, cui *Mercurium*, à quo incitatur ad ludos & disciplinas capessendas; *adolescenciam*, cui *Venerem*, à qua ad venerea accenditur; *iuuentutem*, cui *Solem*, à quo vigorem accipit & propensionem ad altiora; *virilem ætatem*, cui *Mariem*, qui animositatem, & pugnandi studium influit; *senectutem*, cui *Iovem*, à quo gravitatem & maturitatem haurit; & denique *decrepitam ætatem*, cui attribunt *Saturnum*, à quo inditam habet fragilitatem & morositatem: cui etiam eidem ætati decrepitæ de nouo præsidere aiunt *Lunam*, quæ illas propensiones instillat, ex quibus fit ut senes repuerascere dicamus, ac propterea bis esse pueros.

Quot partes ætatis secundum Astrologos.

Qui vero totam hominis ætatem quatuor anni temporibus conferunt, tanquam si inter se proportionem quandam habeant, illam in quatuor partes partiuntur, *pueritiam*, *iuuentutem*, *virilem ætatem*, & *senectam*: pueritiam conferentes *veri*, propter humoris vbertatem, & excrementiam, ut ita loquar; iuuentutem *æstati*, propter fortitudinem, virilem ætatem *autumno*, propter maturitatem, senectutem *hyemi*, propter molestias.

37. *Quares hic*, cur partus septimestris, hoc est qui septimo mense nascitur, vivere soleat, non soleat octimestris, qui octavo. *Hippocrates* docet rationem esse, quod quemadmodum morbus dies habet criticos, seu iudicatorios, qui ordinarie sunt septimus, & nonus, ita etiam partus habeat suos menses iudicatorios, qui sunt vel septimus, vel nonus. *Sed huius ipsius ratio*, ut queritur de partu, ita etiam queri posset de morbo. *Aliqui* refundunt hanc rem in mysterium contentum numero septenario: sed satis certe ludicre, si numerus ipse præcise spectetur, quem enim influxum habere posset? *Alij* id attribunt influxui cælorum. Sed cum idem ipse mensis, qui esset octauus uni partui, esset septimus alteri, & alteri nonus,

Cui partus septimestris non vero octimestris vivere soleat.